ſum tendant vicini veſtri, talia moventes, dies docebit. Vereor ne Pelaſio et Socino viam parent, aut monſtrum aliud alant. Tu vero miſſis inanibus argutiis, perge quæſo ſimplex illud, apertum, verum, ſolidum et ſalutare doctrinæ genus à Præceptoribus è fontib. S. literarum hauſtum et traditum, nobiscum juventuti tradere, et ſcriptis eruditiſſimis aſtruere. Audio non paucos ſtudioſos Leydâ ad veſtram Academiam concedere. Ajunt etiam menſe Octobri Synodum Provincialem Hollandiæ inſtitutam. Faxit Deus ut bene cedat. Vale vir clariſſime et me quod facis ama.

Heidelbergæ die 25 Sept. Aº 1604.

87. Isaaco Genio S.

De Josephi Scaligeri Elenchis Chronologicis.

Urbes Apologiam adverſus Scaligeri vixſanos Elenchos. Visne ut eo ipſe rejiciam? Certè ab homine ſano prodire non potuit tam vixſana oratio: nec multum ſapit, qui vixſano reſpondet. A multis Apologiam meam vehementer exſpectari atque deſiderari ais, metuisque ex ſilentio meo cauſæ præjudicium. Ego verò miror, non etiam exſpectari Apologiam Africani, Euſebii, Hieronymi, Joſephi et omnium Chronologorum nullo propè excepto, quorum ille manes in Euſebianis et Elenchis nihilo clementius, quàm famam meam crudeli ſtylo flagellavit. Magis miror non exſpectari ac deſiderari Apologiam Scaligeri Hierobolimæi, quo ille non de Chronologiæ principatu, ſed de illuſtris familiæ nomine ac ſtatu, deque famâ et vitâ ipſâ poſtulatur. De me cauſaque mea, vel Dei potiùs, ſecurum te eſſe jubeo. Ex parte adverſarii non eſt quid moremur. A reliquis nihil periculi. Prudentes phaleris verborum ſcopticisque nugis non moventur, rerum pondera ſpectant, rationes attendunt. Imperiti ſi hoc tribunal conſcenderint, quid niſi omnium probrum

ferent? Vererisne gloriosus senex de me iterum exclamet illud:

Ite triumphales circum mea tempora lauri:
Decidit in casses praeda petita meos.

Vereor ego, ne gloriosus juvenis Romae de ipso idem jam pri-
dem exclamaverit: Ridiculus triumphus ante victoriam.
Verum enim verò his missis, ut propius videas, quid de Sa-
tyricis illis elenchis mihi sit animi, paucis sic accipe. Fate-
or, initiò me aspectu eorum non leviter affectum perculsumque
fuisse. Quis enim nisi lapis tardius insectationibus non
percelleretur? Dolebam ab eo viro laecerari famam meam,
quem nullâ re laeseram unquam: de cujus virtute et do-
ctrina honestam opinionem semper habui. Nec parùm
mordebat, elenchos Verrinos nescio, an quales dicam, ad
meam infamiam evulgatos ab eo homine fuisse, quocum
mihi jam olim notitia et familiaritas non vulgaris
intercesserat. Illud praeterea portenti simile visum, qui
argumento indifferente, vehementerque abstruso de mundi
aetate quaesitam infamiam meam, in quo nemo hactenus
etiam aberrans audivit male, sed vel laudem vel ve-
niam invenerunt, quotquot in eo eruendo aliquid la-
boraverunt, licet ab aliis per omnia irent, verumque
facerent verbum: In Chronologicis duos non consenti-
re. Quae omnia sanè jure quodam mihi vindictam suadebant,
parumque abfuit, quin Apologiam adversus tam atroces
injurias mihi vel clementissimo extorquerent. Verùm
duo fuerunt, quae animum à perturbatione omni libe-
ratum in diversum partem tandem traducerent: Unum,
diligentior elenchorum inspectio: alterum, amicorum de
illis judicium. Omnes isti, (ut ab his incipiam) variis ex locis
ad me elenchorum intemperiem mirari, arrogantiam im-
probare, maledicentiam aversari: Christianam mihi
εὐδοξίαν precari, ignoscentiam commendare, scandala et

plausus hostium ex conflictu nostro prætendere: victoriam ex injuriarum contemtu polliceri. Quorum ego piis hortatibus expugnatus, dolorem silentio diluendum tandem omninò statui. id autem feci faciliùs, postquam Elenchorum totam armaturam lustrassem curiosiùs, et quæ orationis schemata quæ rei ipsius argumenta essent, penitiùs considerassem, illaque ab istis sequestrare coepissem.

Schemata voco illa dicteriorum, probrorum, sarcasmorum, scommatum, aculeorum, exclamationum, corybantiasmorum, Helleborismorum, similiumque gryphorum fascinia, quibus author lectores dementandos duxit, quoniam absque illis periculum fuit, ne Elenchos protruderet elumbes enervosque, quales revera essent coloribus detersis. Atqui non vidit, talibus pigmentis se quos ornare voluit, deformasse plurimum. Certè fecit maledicos, futili dicacitate dissentientes quosvis insectando. Fecit impios, nec divinis Prophetis, nec defunctorum piis manibus parcendo. Fecit vanos, idem ajendo, mox negando. *Ne semel quidem* (ais de me) *verum dixit*. Et tamen tertio: *Verum sanè hoc est*. Vapulare jubet omnes, qui Persicos Reges pauciores, quàm XIV. numerant: ipse vix X. numeravit. *Perfrictæ frontis hominem* facit, qui Chronologiam sacram ab orbe condito ad Christum imperfectam dixerit. Mox tamen: *Actum erat de Chronologia sacra, absque exoticis monimentis foret*. Fecit ridiculos, ridendo quicquid aliter eludere non potuit: exque suis hypothesibus quasi datis sua obtrudendo: nobis παράδοξα tribuendo: ex quibus est Ursus ille plus decies repositus, nos Cyri tempora in XXIX annum Herodoti perducere: cujus ipse natales ita probè novit, ac si matri obstetricatus fuisset. Fecit et pulchrè Latinos,

ni fallor (Latine enim non intelligo) ex Orbiliana Schola: Ne-
scit quid est Character; Nescit quid dicit: Chronologus negat Josuam
annos XIX natum procul abfuisse ab aetate Sacerdotali: Hellebo-
rismo eget, negare inter Artaxerxem Mem. et Darium Cod. alios
reges interjectos non fuisse &c: Fecit denique spurcos, oletis, ster-
coribus, sterquiliniis, latrinis, cloacis lutulentis, ad quatuor
prope lineas olentes adeo, ut nisi nauseante stomacho ne-
mo perlegat: quasi sordida alicujus lotricis foetus essent.
Hac, inquam, schemata, hosque Corybantiasmos ei proprios
do, dico, dono, condono. Totum hoc vadimonium missum
facio. Sed quid? nimis fui liberalis. Unum excipio Cory-
bantiasmum, quem agnosco, quem exosculor, quem in fron-
te geram, Chronologiam Propheticam, annos Propheticos.
Hic prophetavit Caiaphas. Est enim Beroaldi Chronologia
vere prophetica, ex Prophetarum fontibus unice deri-
vata. Prophetica igitur indigitetur Beroaldi Chrono-
logia et mea, si lucem aliquando aspexerit. At, inquit,
dico Phreneticam Chronologiam, Phreneticos annos.
Novi. Corybantiasmus est, at, inspicis, ita non novus, etiam
Prophetis olim intentatus 2. Reg. 9:11. Hunc igitur
sibi servet.
Vidisti schemata; fulgura expelvi: Ad Chronologica
veniamus. Haec saltem vindicanda censebis. Nihil
abnuo. Calvisiana vidisti? Omnia similia. Ambo ex
iisdem heroibus, eodem ludo edocti; discipulus et ma-
gister; iste amentavit hastas, ille projecit, sed infeli-
citer. Excepi et retorsi omnes sat valide, ni fallor,
ex insidiis accurrit Magister, pugnam redintegraturus.
Possem ego vel illud excipere: Ne Hercules adversus
duos? Ego pedes cum equite? Ego, inquam, occupatissi-
mus contra otiosos? Theologus cum Criticis, qui dies
noctesque nil nisi cyclos tractant? Verum non est, cur

hic fugiam. Eadem, crede mihi, utriusq armatura: niſi quod magiſtri nitidior paulo, et alicubi urgentior: alicubi etiam deterior. Quæ quidem facile oſtenderem nunc, ſi filum Epiſtolæ extendere vellem.

Statum cauſæ intervertunt ambo ſuo compendio. Cum quæſtio ſit: integramne Deus annorum ſeriem ab orbe condito ad Christum in historia ſacra verè nobis monstraverit, etiam abſq profana historia ſieſſet? ipſi quia citra impietatem vix negarent, quæri fingunt: Rejiciendæne ſint exoticæ literæ ancillantes historiæ ſacræ? Ex hac pharetra promunt, quicquid jaculorum adverſus nos torquent. Atqui hoc est aberrare à janua. Si prius illud crederent, pro ancillantibus literis non litigarent. Litigant autem, quia ancillas ſupra Dominam evehunt, Dominas faciunt.

Quæ pro hypotheſium mearum vindicatione ſcripſi, Elenchi non viderunt, vixq attigerunt, nulla parte laſerunt. An verò actum nunc agam? Nec refugiam tamen laborem, quem requiris denuò, paululum otii nactus. Nunc enim τοῖς ἐξηγητικοῖς distineor, quorum ſpecimen nundinæ præſentes vobis exhibebunt. Præbebunt verò Elenchi anſam enucleatius quædam diſcutiendi, de anno ineuntis et ceſſantis diluvii, quem Elenchi toto anno anticipant contra expreſſa Moſis verba Genes. 7: 11. & 8: 13. de vero Anno natali Abrahæ: de vero initio annorum 430. ante Exodum: de annis Regum: de hebdomadum deniq cum fine captivitatis immediato nexu: in quo disturbando Elenchi deſudarunt prolixe, etiam Japonicis argumentis. Quam ſolide, oſtendam, ſi volet Deus, brevi: et quidem, quod ætate jam afflictiore ſolum capio,

Chronologia Prophetica fragmentis evulgatis: Tyran-
nidem Ecclesiasticorum nihil ea formidabunt. Averrun-
cet hanc Deus Opt: Max: à Prophetica historia, quasi
falcem Criticam semel admitteret, quid profana amplius
differret? Vale. Heidelbergae, Februar. bissexto Anno 1608.

Johanni Branto Rectori Scholae Wesaliensis. 88.
Salutem. Quoniam frater antiquissime, Commentario meo
ad Hebraeos patronus quaerendus fuit, celeberrimam Remp.
vestram Wesaliensem compellandam duxi, quam et ortho-
doxae fidei commentario hoc meo assertae et literarum
bonarum amantissimam esse duxi. Nec leviter me lu-
induxit Bernardus filius tuus nuper domesticus meus,
nunc paedagogus clarissimi viri D. Lefenii Consiliarii
Electoralis. Mitto igitur ad te exemplaria quinque compa-
cta, duo non compacta, ex quibus tibi et D. Rasfeldio
singula vindices: reliqua cum literis meis per eunte
rogo cures meo nomine offerri, et studium meum meli-
orem in modum commendari amplissimo Senatui, ut meam
hanc compellationem in bonam partem accipiat, ex
iis quae de urbis vestrae incunabulis et varia fortuna
ad me miseras excerpsi pauca, quae potui per temporis
brevitatem. Vix enim absolvi admundinas utrique
commentariis à typographo potuit, istum dico
ad Hebr. et alterum ad Corinthios, cuius etiam ex-
emplar vobis mitto. Serenissimus noster inde à
comitiis laboravit de unione saltem reali ordi-
num Evangelicorum conciliandae adversus mo-
litiones Papistarum. Nec parum Dei gratia pro-
movit: sed quid non machinatur Satan? Luthera-
ni demagogi passim concionibus et scriptis
invehuntur in politicos: pacem cum Calvinistis
plebi dissuadent, metuentes ne sua collabascat